



**G**etricus Erici diserti regis Gothorum primo  
 genitus fuit, qui post fata patris hæreditaria  
 successione & concordi procerum electione ad  
 Gothici regni scepta peruenit. Huius uero frater  
 Haldanus apud Sueones patri successit. Cum au-  
 tem Getricus magna fortitudine & rei bellicæ pe-  
 ritia esset præditus, cum maximo suorum exercitu  
 expeditionem in remotiores gentes suscepit. Pri-  
 mò Pomeranos aggressus prelio commisso uictor  
 euasit. Postea uictores sese in tres partes diuiserūt.  
 Pars una post multos & uarios errores ad Helue-  
 tiorum alpes peruererunt, in quibus locis iam an-  
 tea Cimbrici exercitus reliquæ consederant. Ho-  
 rum posteritas postea Suetzij à progenitoribus appellata fuit. altera manus  
 in Scotiam perueniens, gentem Pictorum condidit, Anno Christi septuage-  
 simo secundo, id quod etiam Anglicana Historia testatur lib. 2. Reliqui cum  
 Gethrico superatis Vlmerugis, Curetibus, Samogethis, & Estonibus tan-  
 dem post plurimorum annorum militiā in Gothiam uictores redierunt. Ibi  
 Gethricus post gloriosam regni administrationē in multos & felices annos  
 cōtinuatā, tandem in fata apud suos Yuestrogothos cōcessit. Ioan. Mag. li. 5. c. 1.